

## HISTORIAE PISCIVM

## LIBER IV.

## DE PISCIBVS EXOTICIS.

## TITVLVS I.

*De Piscibus squammosis.*

## CAPVT I.

*De Tajaſica, Paru, Pira-Acangata, et Acarauna.*

**P**oterant quidem et isti, quos hoc libro trademus pisces, ad sua genera in praeteritis referri: verum cum tarde nimis ipsorum descriptiones et icones in manus nostras pervenerint, coacti sumus eos peculiari libello includere.

**T A B.** *Tajaſica* itaque prout Brasiliensibus  
XXXII. I. 2. vocatur: pifcis est octo aut novem  
Marcgrav. digitos longus, corpore obterete et  
Hist. Brasil. pyramidali, extenuatur enim versus  
lib. 4. c. 2. caudam. *Caput* est illi grossiusculum  
et compressum: *Oculi* eminentes et  
nigri, circello aureo: os edentulum.  
Sex habent pinnas; nimirum sub qualibet branchia unam oblongam, sub his in medio inferius unam breviorem:  
unam in medio dorso, aliam longiorem versus postremam dorsi partem, et e regione hujus unam in infimo corpore: septima est cauda, oblonga et in exitu rotundata. Tegitur squamu lis parvis, coloris hyalini pallidi, maculis variis fuscis vermiculatis variegatus per totum, exceptis pinnis postbranchialibus et infimo ventre; quae ex pallido subflavescunt. Cauda est undata fusco. Latet in arena absconditus; ideoque capitur pedibus, eos ponendo super arenam ubi latet.

*Coctus* atque assatus bene sapit et convenit cum Hollandorum Post, est enim carne albissima et friabili.

**P A R V,** Pifcis est latus et subrotundus, verum haud crassus, novem aut decem digitos longus ab ore ad pin nam caudae, que duos et semis digitos longa et totidem lata: latitudo pifcis septem digitorum. *Pinnas* obtinet sex: duas magnas ac latas duos circiter di-

gitos; unam in dorso, alteram in ventre, quae utrobique ad caudam extenduntur; habetque quaevis pinna in fine prominentiam instar funiculi, ea videlicet, quae in dorso quinque digitos, quae in ventre tres digitos longam. Post branchias in quolibet late re etiam pinna est duos digitos longa, unum lata; et duas in inferiori ventre sub his, duos digitos longas, angustifimas. *Capite* est parvo, ore elato, angusto, minutissimis dentibus albi coloris; oculis conspicuis, flavo circulo circumdatis. Totum corpus vestitur squammis mediocribus, quarum dimidius numerus niger est, dimidius autem flavescit, ita ut lunulas flavas in nigricante corpore gestare videtur. Circa branchias flavedo est, et in initio pinnarum, post aures macula flava in qualibet.

*Pifcis* est edulis.

**P I R A A C A N G A T A**, id est, pifcis duro capite: Percae mediae magnitudine, septem aut octo pedes longus, ore haud ampio, oculis nigris, circello nigricante aureo et rufo colore mixto. *Pinnas* habet sex et septimam pro cauda: duas postbranchiales, duas in infimo ventre junctas, unam versus posteriora in ventre, et unam per totius dorsi longitudinem usque ad caudam extensam et erectam, firmis spinis suffultam, quam in vaginam recondere potest. Pinna caudae furcata. Tegitur squamu lis argenteis, aureo et igneo colore transplendente, praesertim in dorso; in ventre in argenteo thalassinus color translucet.

*Sen Harder  
Digitox*